

*VIR PRÆCELLENTISSIME,*

**A**D CHEMIÆ penetralia, veram Philosophiam Naturalem penetraturo, duo omninò adminicula præ cœteris pernecessaria videntur: **RATIO** scilicet ac **EXPERIENTIA**; adeò, ut nec **RATIO** sine **EXPERIENTIA**; nec **EXPERIENTIA** sine **RATIONE** quicquam profutura sint. **RATIONEM**, **EXPERIENTIÀ** omnique rerum usu destitutam, amplectuntur illi; qui in remotis ab hominum societate locis absconditi, dies sæpè ac noctes consumunt, in rerum naturalium causis pervestigandis; non verò earum rerum, quæ à Ter Optimo Maximo creatæ jam sunt; sed Ideas sibi fingunt novi orbis producendi, qualemque ipsi crearent, sicreandus novus foret. Hi, profundam illam ac latissimam Philosophiæ Naturalis cognitionem, pro arbitrio & voluntate, terminis; Facultatum **GALENI**, Qualitatum **ARISTOTELIS**, ac Corporis perspirabilis ac inspirabilis

A 2

HIP-